PORTA

LINGUARUM ORIENTALIUM

SIVE

ELEMENTA LINGUARUM

I. HEBRAICAE — V. SYRIACAE
II. CHALDAICAE — VI. ARMENIACAE
III. SAMARITANAE — VII. AETHIOPICAE
IV. ARABICAE — VIII. PERSICAE.

STUDIIS ACADEMICIS ACCOMMODATA.

EDIDIT

J. H. PETERMANN, E. NESTLE, S. LANDAUER E. A.

PARS IV.

LINGUA ARABICA.

EDITIO SECUNDA EMENDATA ET AUCTA.

CAROLSRUHAE ET LIPSIAE.

H. REUTHER.

LUTETIAE PARISIORUM
MAISONNEUVE & CIE.
25, QUAI VOLTAIRE.

LONDINII
DULAU & CO.
37, SOHO SQUARE.

1867.

BREVIS
LINGUAE ARABICAE
GRAMMATICA, LITTERATURA, CHRESTOMATHIA

CUM

GLOSSARIO.

IN USUM PRAELECTIONUM ET STUDIORUM PRIVATORUM

SCRIPSIT

JUL. HENR. PETERMANN,
DOCT. ET PROF. PUBL. EXTRAORD. IN UNIVERSITATE BEROLINENSI.

EDITIO SECUNDA EMENDATA ET AUCTA.

CAROLSRUHAE ET LIPSIAE.
H. REUTHER.

LUTETIAE PARISIORUM
MAISONNEUVE & Cie.
25, QUAI VOLTAIRE.

LONDINII
DULAU & Co.
37, SOHO SQUARE.

1867.

Typis Guilielmi Drugulini Lipsiensis.

Prodit hic, quae diu jam desiderabatur, secunda portae arabicae editio, in qua vitia multa prioris correxi, atque, uti paginarum numerus docebit, libellum in omni parte additamentis, quae necessaria videbantur, amplificavi.

Sic in grammatica tirones vix quidquam desiderabunt; in litteratura addidi delectum librorum, qui inde ab anno MDCCCXL in lucem editi sunt, et in chrestomathia adjunxi narrationem ab amicissimo Wetzstein e codice manuscripto bibliothecae ab ipso Damasci comparatae mihi suppeditatam, quae indolem religionis Muhammedanorum, atque imprimis Chaliphae Omari quam maxime conspicuam reddit.

De consilio ac ratione, quibus ductus me ad elaborandum hunc et similes libellos linguis *hebraicae, chaldaicae*, *samaritanae*, *syriacae*, *armeniacae*, *aethiopicae*

et *persicae* dicatos accinxerim, deque via, quam ineundam putaverim, in praefatione primo horum libellorum volumini (portae hebraicae) praemissa fusius disputavi, quare lectores benevolos rogo, ut illam, si velint, perlegant.

Brevi tempore in lucem prodibit portae linguarum orientalium tomus III, *linguae Samaritanae* grammaticam, litteraturam et chrestomathiam cum glossario continens, in quo Samaritanorum, pronunciatione quam ab ipso eorum sacerdote summo didici, hucusque incognita innixus novam prorsus viam ingrediar.

GRAMMATICA.

I.

DE SCRIBENDI ET LEGENDI ELEMENTIS.

CAP. I. DE SCRIPTURA.

§. 1. Scriptura Arabum a dextra sinistrorsum legenda litteris constat 28, quae sive praecedenti, sive sequenti, sive utrinque annectantur, seu denique absolute nulli annexae ponantur, varias adsumunt figuras, quas unâ cum nomine et valore uniuscujusque ordine recepto tabula sequens exhibet.

CONSONANTES.

NOMINA.	FIGURAE. NON ANNEXARUM.	ANNEXARUM. Praecedenti	Utrinque	Sequenti	VALOR. SONI	NUMERI
أَلِفٌ Alif (Elif)	ا	ـا			א s. spiritus lenis	1
بَاءٌ Bâ (Bê)	ب	ـب	ـبـ	بـ	ב b	2
تَاءٌ Tâ (Tê)	ت	ـت	ـتـ	تـ	ת t	400

NOMINA.	FIGURAE. NON ANNEXARUM.	ANNEXARUM. Praecedenti	Utrinque	Sequenti	VALOR. SONI	NUMERI
ثَآءٌ Tsâ (Tsê)	ث	ـث	ـثـ	ثـ	th angl.	500
جِيمٌ Dschîm	ج	ـج	ـجـ	جـ	dsch	3
حَآءٌ Hhâ	ح	ـح	ـحـ	حـ	ח hh	8
خَآءٌ Châ	خ	ـخ	ـخـ	خـ	ח ch fortius	600
دَالٌ Dâl	د	ـد			ד d	4
ذَالٌ Dsâl	ذ	ـذ			dh sive ds	700
رَآءٌ Râ (Rê)	ر	ـر			ר r	200
زَآءٌ Zâ (Zê)	ز	ـز			ז z gall.	7
سِينٌ Sîn	س	ـس	ـسـ	سـ	ס (שׂ) s	60
شِينٌ Schîn	ش	ـش	ـشـ	شـ	שׁ sch	300
صَادٌ Ssâd	ص	ـص	ـصـ	صـ	צ ss	90
ضَادٌ Ddâd	ض	ـض	ـضـ	ضـ	d sive dd	800

NOMINA.	FIGURAE. NON-ANNEXARUM.	ANNEXARUM. Praecedenti	Utrinque	Sequenti	VALOR. SONI	NUMERI
طَآءٌ Ttâ	ط	ـط	ـطـ	طـ	ט tt	9
ظَآءٌ Ttsâ	ظ	ـظ	ـظـ	ظـ	ts sive tz	900
عَيْنٌ Ain	ع	ـع	ـعـ	عـ	ע spir. gutt.	70
غَيْنٌ Ghain	غ	ـغ	ـغـ	غـ	gh gutt.	1000
فَآءٌ Fâ (Fê)	ف	ـف	ـفـ	فـ	פ f	80
قَافٌ Qâf	ق	ـق	ـقـ	قـ	ק q	100
كَافٌ Câf	ك	ـك	ـكـ	كـ	כ k mollius	20
لَامٌ Lâm	ل	ـل	ـلـ	لـ	ל l	30
مِيمٌ Mîm	م	ـم	ـمـ	مـ	מ m	40
نُونٌ Nûn	ن	ـن	ـنـ	نـ	נ n	50
هَآءٌ Hâ (Hê)	ه	ـه	ـهـ	هـ	ה h	5
وَاوٌ Vâv	و	ـو			ו u sive v	6

NOMINA.	FIGURAE. NON ANNEXARUM.	ANNEXARUM Praecedenti	Utrinque	Sequenti	VALOR. SONI	NUMERI
يَاءٌ Jâ (Jê)	ى	ى	ﻴ	ﻳ	ی i sive j	10
هَمْزَةٌ Hamza	ء				spir. lenis	
Hê finale	ة	ـة			i. q. ت t	
لَامْ أَلِفْ Lâm-Elif	لا	ﻼ			lâ	

VOCALES.

1) breves: Fatha ـَ a(e), Kesre ـِ i(e), Dhamma ـُ u(o).

2) longae: ـَا â (ê), ـِى î, ـُو û.

Diphthongi: ـَىْ ai, ـَوْ au.

Nunatio s. Tanvin: ـٌ un, ـٍ in, ـً an.

SIGNA ORTHOGRAPHICA.

1) Dschezma s. Sukun ـْ. 2) Teschdid ـّ.
3) Hamza ـٔ. 4) Wesla ـٱ. 5) Medda ـٓ.

§. 2. *Nomina* litterarum sive eadem sunt, quae in lingua Hebr., ut *Elif*, *Sin*, *Schin*, *Ain*, sive magis minusve decurtata, ut *Dal*, *Ssad*, *Lam*, *Be*, *Te* etc.; ordo vero earum, licet antiquitus, ut e valore numeri, quem in ultima tabulae columna dedimus, et ex octo vocibus memorialibus أَبْجَدْ هَوَزْ حُطِّي كَلَمُنْ سَعْفَصْ قُرِشَتْ ثَخَذْ ضَظَغْ apparet, idem fuerit, atque apud Hebraeos et Syros, serius tamen ob figurae sonive similtudinem in hunc, quem in tabula proposuimus, conversus est. Sed occidentales i. e. Mauri litteras ratione paullum diversa in hunc modum disponunt: ا ب ت ث ج ح خ د ذ ر ز ط ظ ك ل م ن ص ض ع غ ف ق س ش ه و لا ى.

§. 3. *Figura* litterarum antiquissima, *Himjaritica* dicta, juncturâ expers atque aethiopicae similis fuit. Sed a Muhammedis inde tempore aliud scripturae genus litteris inter se conjunctis, idque syriacae originis introductum est, primum Meccae et Medinae, deinde Basrae et imprimis Cufae excultum; atque hinc scriptura *cufica* prae caeteris invaluit, a quâ scriptura Arabum Hispanorum et Africanorum, quae etiamnum characterem suum servavit, paullum diversa est. In Oriente vero et Aegypto ex studio ductus litterarum tam contrahendi, quam diminuendi, novum genus scripturae, *Neskhi* dictum, utpote librariis maxime idoneum, quo nostri libri arabici excuduntur, exortum est, unde scripturae *Taalik* Persis imprimis atque etiam Turcis usitata et *Divani*, quâ principum codicilli et diplomata

scribuntur, derivatae sunt. In variis his scripturae generibus omnes litterae in eâdem voce praecedenti, atque si ا د ذ ر ز و exceperis, sequenti etiam annectuntur. Hinc figurae singularum primitus diversae coaluerunt, ac punctis diacriticis distinguendae eraut; atque, ut pronunciationis diversitas notaretur, sex novae litterae ث خ ذ ض ظ غ accesserunt.

§. 4. *Pronunciatio* litterarum, licet in tabula superiori jam proposita sit, tamen, quum in nonnullis explicatione egeat, atque pro variis terris diversa sit, accuratius hc tractabitur.

Elif (أ) cum Hamza (ء) superscripto mobile est, ac respondet hebr. א seu spir. leni Graecorum; sed sine Hamza quiescit, et soli prolongationi vocalis praecedentis inservit.

ب et ت a nostris *b* et *t* non differunt.

ث ex ت ortum addito sono sibilanti pronunciatur ut *th* anglicum; at saepe non distinguitur a ت.

ج pronunciatur *dsch*, sed in Aegypto primitivum sonum *g* retinuit.

ح et خ fortissime e gutture proferuntur, ut *hh*, *ch*.

د est nostrum *d*.

ذ ortum ex د, uti ث ex ت, addito sono sibilanti profertur *ds* seu *dh*; a multis vero in pronunciatione a littera د non distinguitur.

ر, س, ش a litteris *r*, *s*, *sch* non differunt; ز est *z* gall.

Litterae ص, ض, ط, ظ, ع, غ valde difficiles sunt ad pronunciandum, et quatuor priores quidem sec. Arydam p. 9. magna cum emphasi proferendae, pleno videlicet ore, mucronem linguae initio palati sistendo, atque intimam oris partem guttur versus dilatando, ع et غ vero in imo gutture proferendae. ص valet *s* palatinum idque fortissime pronunciandum, ض, quod Persae et Turcae pronunciant *z*, Arabibus est *d* vel *dd* palatinum. ط est *t* vel *tt* palatinum, ظ est *ts* vel *tts* palatinum. غ fortius quam ع pronunciatur, ac fere nostro *gh*, cui litteram *r* immixtam credas, respondet.

ف convenit cum nostro *f*.

ق est *k*, sive potius *q* in gatture prolatum; hinc Aegyptiorum multi sonum mere gutturalem retinent, et Mascatenses ac Maroccani hanc litteram saepe cum غ confundunt. Syri Damasceni etc. eam in pronunciando plane nomittunt, atque e. g. قال proferunt *âl*, تقول *tĕ̓ ûl*.

ك est *c*, *k*, mollius quam ق et in intimo palato, non in gutture proferendum.

ل et م a *l* et *m* non differunt.

ن ante litteram vocalem seu gutturalem pronunciatur ut nostrum *n*; ante litteras ت, ث, ج, د, ذ, ز, س, ش, ص, ض, ط, ظ, ف, ق, ك, sonum habet nasalem *ng*, ut *n* gall; ante ب sonat ut *m*; denique ante م, ن, et ante ى, و, ل, ر

vocis sequentis in sonum litterae, quae sequitur, transit. Haec vero discrimina non in vita vulgari, sed a solis fere Korani lectoribus observantur.

ه convenit cum nostro *h*, et mollius pronunciatur quam ح. In fine nominum, si duo puncta superscripta habet, (ة ـة) profertur ut *t*, sed in lingua vulgari plane omittitur.

و et ى modo vocalium modo consonantium naturam induunt, ac sive *u*, *i*, sive *w*, *j* sonant.

§. 5. *Dividuntur* litterae 1) secundum organa, quibus efferuntur, in *Gutturales*, ا ه ح خ ع غ *Palatinas* ى ج ك ق *Linguales*, ن ل ر ز س ش ص ض *Dentales*, د ت ط ذ ث ظ et *Labiales* و م ف ب*). 2) in *compatibiles*, quae se invicem in eâdem voce sequi possunt, et *incompatibiles*, quales sunt gutturales praeter أ, et labiales, aliaeque. 3) in *radicales*, quae radicem constituunt, et *serviles*, quae vocibus technicis يَتَسَمَّنُوا بِفَلْكٍ comprehenduntur. 4) in *solares* ت ث د ذ ر ز س ش ص ض ط ظ ل ن et *lunares*, uti reliquae appellantur. Nomina acceperunt a nominibus *solis* et *lunae*, شَمْسٌ et قَمَرٌ, quae unâ illarum litterarum incipiunt.

§. 6 *Vocalium* signa, quae nonninsi in Korano pau-

*) Sed rectius fortasse littera ق gutturalibus, litterae ص ض ط ظ lingualibus aut palatinis, ز س ش dentalibus accensentur.

cisque aliis libris praesertim poeticis reperiuntur, tria sunt, *Fatha* ـَ, *Kesre* ـِ, et *Dhamma* ـُ, quorum primum et tertium litteris superscribuntur, secundum vero infra litteras ponitur. Ex his *Fatha* pronunciari solet *a* post ultimam dictionis litteram, et si consonantes fortiores seu asperiores ح خ ص ض ط ظ ع غ ق, ac saepius etiam, si litteram ر sequitur; sin vero littera debilis praecedit, et in syllaba composita, vulgo in sonum *e* transit. *Kesre* vero et *Dhamma* pronunciantur *i*, *u*, 1) si litterae prolongationis و, ى sequuntur, 2) in fine vocum, 3) si flexionem grammaticalem indicant; alias vero plerumque *e*, *o* sonant. — Si in fine syllabarum litterae ا و ى sine Dschezma (ـْ) vocales homogeneas sequuntur, breves hac vocales fiunt longae ا ـَ â, و ـُ û, ى ـِ î, atque ا و ى litterae *protractionis* s. *prolongationis* tunc appellantur. Litterae و protractionis in fine vocum nonnunquam, idque praesertim in III. pers. pl. verb., ا vocali destitutum ac mutum additur, e. g. كَتَبُوا lege *katabû*.

In mediis dictionibus quibusdam, quae saepissime occurrunt, Elif prolongationis omittitur, sed scribae diligentiores Fatha perpendiculare (Elif parvum) superscribere solent. e. g. هٰذَا pro هَاذَا, لِلّٰهِ pro لِلّاهِ.

Quando litteras و ى Fatha praecedit, diphthongi oriuntur *au*, *ai*, atque litterae illae signo Dschezma notantur: ـَوْ , ـَيْ ; sin vero deest Dschezma, litterae Elif vicem gerunt e. g. صَلَوةٌ lege *salâtun*, رَمَيهُ lege *ramâhu*, عَلَى lege ›*ala*.

In fine nominum post vocalem brevem sonus nasalis Nunatio s. Tanvin dictus audiri solet, quem signo vocalis duplicato exprimunt: ـٌ s. potius ـٌ *un*, ـٍ *in*, ـً *an*; sed sonum nasalem *an*, nisi praecedat ة aut sequatur ى, semper sequitur ا. e. g. بَابًا lege *bâban*. حِكْمَةً lege ‘*hecmatan*. هُدًى lege *hodan*.

In sermone vulgari primae atque ultimae vocum vocales breves raro audiuntur, nunatio semper ommittitur.

§. 7. *Syllabae* arabicae, qnae, si vocali finit, *simplex*, si in consonantem desinit, *mixta* s. *composita* dicitur, leges sunt sequentes:

1) Omnis syllaba a consonante incipit, et, ubi a vocali ordiri videatur, Elif instar spiritus lenis praemittitur. e. g. أَوْ lege ’*au*. Idem in media voce locum habet, ubi praeterea duae vocales concurrentes sive coalescunt, sive altera ab altera eliditur.

2) Una tantum consonans in eadem syllaba vocalem

praecedere potest, unde vocibus, quae a duplici consonante incipiunt, vocalis brevis praeponitur e. g. إِسْفَنْجٌ = σπόγγος
اُقْتُلْ = קְטֹל.

3) Vocalem in fine syllabae nonnisi una sequi potest consonans.

4) In syllaba composita vocalis semper brevis est, et, si longa fuerit, in brevem mutatur; sed in pausa, et si Teschdid (de quo vide §. 8, 2.) sequitur, nonnunquam vocalis longa reperitur.

§. 8. *Signa orthographica* apud Arabes sunt haec:

1) *Dschezma* s. *Sukûn* ـْ quod schevati quiescenti*) Hebraeorum prorsus respondet, in fine omnis syllabae compositae ponitur, praeterquam si ultima consonans cum prima sequentis syllabae per Teschdid coalescit. Scribitur itaque in fine etiam vocum, si syllabâ compositâ finiunt, et litteris ا و ى imponitur, si in fine syllabarum signo Hamza superscripto mobiles evadunt; ac denique etiam litterae و ى eo signantur, si praecedente Fatha diphthongos وْ‎ـَ *au*, ىْ‎ـَ *ai* faciunt.

2) *Teschdid* ـّ signum duplicationis, i. q. Dagesch

*) Schwa enim mobile in lingua arabica sec §. 7, 2. locum habere non potest, et, ubi in lingua hebr. scribitur, Arabes ejus loco vocalem plenam substituunt.

forte Hebraeorum, omnibus litteris, Elifo etiam imponitur, ac duplex est, *necessarium* et *euphonicum*. *Teschdid necessarium*, ita dictum, quoniam ad definiendam vocum pronunciationem et significationem necesse est, ultimae syllabae consonanti, sive ex lege etymologicâ duplicandae, sive cum sequenti litterâ eâdem contrahendae imponitur e. g. نَزَلَ Conj. II. نَزَّلَ, مَدَّ pro مَدَدَ atque etiam هَادَّ pro هَادَدَ cf. §. 7, 4. — *Teschdid euphonicum*, quo euphoniae causa sive littera eadem bis ponenda in pronunciatione contrahitur, sive duae litterae magis minusve similes coalescunt, posteriori semper, priori non dschezmatâ, adscribitur. Locum habet *a*) post ل articuli أَلْ, *Lamdale* appellatum, si littera solaris (vide §. 5.) sequitur. e. g. أَلرَّبُّ lege *arrabbu*, أَلشَّمْسُ lege *acshschamsu*. In Pron. relat. أَلَّذِى pro أَللَّذِى, أَلَّتِى, أَلَّذِينَ, ل art. omitti solet, atque idem fit, ubi ل ter scribendum erat e. g. لِلّٰهِ pro لِاللّٰهِ — لِلَّيْلِ pro لِاللَّيْلِ. *b*) legitur in verbi personis a ت incipientibus, si una e litteris ث, د (unde *Deltale* dicitur,) ذ, ط, ظ, signo Dschezma signanda praecedit. e. g. لَبِثُّ pro لَبِثْتُ — أَرَدُّ pro أَرَدْتُ — أَخَذْتُ pro أَخَذْتُ — رَبَطُّ pro رَبَطْتَ — حَفِظُّ pro حَفِظْتَ

Denique *c*) *initiale* appellatum ponitur, si vocem litterâ ن terminatam alia vox unâ e litteris لومير incipiens sequitur. e. g. مِن لَّيل lege *millailin*, مِن رَّبِهِ lege *mirrabbihi*. Sed haec scriptura, quam Grammaticorum subtilitas ulterius etiam persequitur, in solis fere Koranis observatur; in aliis libris Praepositiones مِنْ et عَنْ tantum cum مَنْ et مَا sequenti coalescunt: مِمَّنْ, عَمَّنْ. مِمَّا, عَمَّا.

3) *Hamza* ـٔ signum parvum Ain repraesentans litterae Elif mobili additur, et motum ejus actualem indicat. e. g. إِنْسَان, سَأَلَ, مَلَأَ, يَأْمَن. Saepissime etiam hoc solum ponitur litterâ Elif omissâ, nempe in fine vocum, atque, licet non semper, in mediis vocibus, si littera prolongationis sive dschezmata praecedit e. g. مَآء, سُوء, شَيْء, رِدْء, تَوْءَم, يَسْأَل etc. Hinc et ipsa littera Elif haud raro Hamza vocatur. Saepius etiam litteris و et ى superscribitur, si nempe vicem litterae Elif gerunt, atque ita etymologiae vocum cognoscendae inservit. e. g. قَائِل pro قَاإِل, يُؤْمِن pro يُأْمِن, Puncta litterae Je tum omitti solent.

Nota. Hamza vocalibus et signò Dschezma apponi solet, et scribitur infra Fatha, Dhamma, Dschezma, sed supra Kesre. Litteris و ى semper superponitur; sin vero solum sine littera Elif scribendum est, in ipsa linea ponitur.

4) *Wesla* ٱ signum unionis, quod ab initio vocum quarundam a litterâ Elif incipientium ponitur indicans, eas cum praecedenti in pronunciatione esse conjungendas. Sunt vero hae voces ejusmodi, quae a consonante vocali vacuâ incipientes, ut pronunciatio facilior reddatur, Elif, quod *prostheticum* s. *unionis* appellatur, cum vocali, eâque plerumque *i* tanquam proximâ, rarius *o*, cf. اُنْصُرْ, assumunt, nempe conjugationes septima et sequentes in Praeteritis activis, Imperativis et Infinitivis, Imperativus Conj. I., nomina peregrina nonnulla, et arabica اِبْنٌ, اِبْنُمٌ, اِبْنَةٌ, اِثْنَانِ, اِثْنَتَانِ, اِسْتٌ, اِسْمٌ, اِمْرُؤٌ, اِمْرَأَةٌ, quibus accedit nomen اَيْمُنُ in formulis jurandi, et art. اَلْ. Hae omnes in nexu orationis amissâ vocali initali cum vocali Praefixi sive ultimâ dictionis praecedentis uniuntur. e. g. بِٱبْنِكَ lege *bibnica*, يَدُ ٱبْنِكَ lege *jadu-bnica.* Idem locum habet, quando Elif prostheticum littera sequitur و sive ى dschezmata, quarum in conjunctione ratio habetur nulla. e. g. يَقُولُ ٱئْذَنْ lege *jaqûlû-dsan*, لِقَاءَنَا ٱئْتِ lege *leqâanâ-ti.*

Quando vox praecedens consonante terminatur, vocalis auxiliaris assumitur, et *Fatha* quidem (ex voce sequenti) post monosyllaba مْنْ, مِنْ, مَعْ, si sequitur Articulus, eademque assumi *potest*, si Articulum praecedunt Suffixa I. pers. نِي aut يِ e. g. مِنَ ٱلْمَلِكِ, نِعْمَتِيَ ٱلَّتِي.

Kesre interseritur 1) si eadem monosyllaba aliud Elif unionis sequitur. e. g. مِنِ ٱبْنِكَ 2) post alia omnia monosyllaba e. g. إِنْ, بَلْ, قَدْ, هَلْ etc. excepto مُذْ, et post لَكِنْ: 3) in III. pers. sing. fem. praet., ut نَصَرَتْ, et in Imperativo et variis Futuri apoc. personis, ut أُنْصُرْ, يَنْصُرْ, تَنْصُرْ, أَنْصُرْ, نَنْصُرْ, 4) in omnibus iis tam nominum quam verborum formis, quae in diphthongum ـَيْ *ai* exeunt. e. g. يَدَيْ, يَدَيِ ٱلْمَلِكِ, Quodsi nunationem Elif unionis sequitur, legendo quidem at non scribendo additur vocalis Kesre e. g. مَدِينَةٌ ٱخْتَارَتْ lege *madînatuni-chtârat.*

Dhamma denique additur, idque ex forma primitiva 1) post Pron. أَنْتُمْ et Suffixa كُمْ et هُمْ*), idemque post II.

*) Quando Suffixum هُمْ praecedente diphthongo *ai* sive vocali *i* in هِمْ mutatur, secundum alios Dhamma, sec. alios Kesre assumitur.

pers. plur. praet. فَعَلْتُمُ. 2) post monosyllabum مُذْ. 3) in verborum ac nominum formis, quae in diphthongum اَوْ *au* exeunt e. g. غَزَوُا, اَلْمَدِينَةَ غَزَوُا.

Nonnunquam Elif unionis in scriptura etiam supprimitur, nempe 1) in formula frequentissima بِسْمِ اللّٰهِ الرَّحْمٰنِ الرَّحِيمِ 2) in voce ابْنُ inter duo nomina propria, quae se mutuo respiciunt. 3) in Articulo, si لِ aut لَ praecedit. e. g. لِلْحَقِّ, لَلْحَقُّ. 4) post Elif interrogativum., ubi tamen ا Articuli retinere licet e. g. اَالرَّجُلُ, اَبْنُكَ.

5) *Medda* ـٓ signum prolongationis, quo nempe vocalem producendam esse indicatur, litterae Elif fere soli adscribitur, idque 1) ab initio vocum, ubi post Elif hamzatum et per Fatha pronunciandum aliud Elif sive dschezmatum sive protractionis ponendum erat. Ibi unum Elif signo Medda apposito scribi solet e. g. آكَلَ pro اأكَلَ, آمَنَ pro اأمَنَ. 2) in mediis vocibus *nonnunquam* aut eâdem conditione e. g. اَلْقُرْآنُ pro اَلْقُرْاأنُ, aut si Elif protractionis signo Hamza sive soli sive litteris ى و superposito an-

tecedit. e. g. فَجَآءَةٌ, رَآئِي. 3) in fine denique vocum semper ponitur ante Hamza vocali signatum. e. g. سَمَآءٌ.

Vocalis Fatha ab initio vocum semper, alibi vero raro ante signum Medda omittitur.

In Koranis diligentius scriptis hoc signum ubique fere, ubi vocalis aliqua producenda videbatur, adhiberi solet.

§. 9. *Tonus* penultimam dictionis syllabam ferit, si longa est, h. c. si vocali longâ aut consonante terminatur, sed in antepenultimam recedit, quando penultima brevis est e. g. نَاصِرٌ lege *náserun*, نَاصِرُونَ lege *naserúna*. — In vocibus هَٰذَا, لَٰكِنْ, إِلَٰهٌ, زَمَنٌ syllaba penultima tono signatur, quoniam scriptae sunt pro إِلَاهٌ, لَاكِنْ etc. cf. §. 6. p. 9.

Vox in *pausa* h. e. in fine sermonis posita ultimam vocalem brevem unâ cum nunatione, sive solam nunationem amittere solet.

§. 10. *Distinctionis signa* sunt: ۝, ۝۝۝, ۞ quae in fine periodorum et versuum Korani aut carminum ponuntur. Sed rarius ea leguntur, ac plerumque finis enunciationis absolutae spatio tantum vacuo vel litterarum ultimae vocis productione innuitur. In Korano litteris ج, ط, م, atque لا supra lineam positis in usum lectorum indicantur loci, in quibus pausa necessaria, ab omnibus recepta, licita, aut denique nulla sit.

Hae aliaeque litterae *compendia* sunt *scribendi*, qualia in vocibus ac formulis frequenter obviis atque in fronte nonnullorum capitum Korani leguntur. Illa intellectu facilia, haec vero Muhammedanorum etiam doctoribus obscura sunt. — Insigniuntur haec scribendi compendia sive lineâ sive signo Meddae simili superscripto. e. g. ج s. ج = جَمْعٌ i. e. *pluralis*. عم s. عم = اَلسَّلَامُ عَلَيْهِ i. e. *sit ei salus*. آلم Sur. II. v. 1.

§. 11. *Numeros* Arabes, ut in tabula litterarum indicavimus, litteris primitus expresserunt, et in numeris compositis eundem, quem in scribendo ordinem et modum observarunt. e. g. قلب = 132; serius autem peculiaria numerandi signa ab Indis acceperunt, Indica inde appellata, quae Arabes deinde nobis tradiderunt:

١	٢	٣	٤	٥	٦	٧	٨	٩	٠
1	2	3	4	5	6	7	8	9	0

Componuntur haec eâdem ratione, quâ apud nos componi solent. e. g. ١٨٤٠ = 1840.

§. 12. *Permutationes* litterarum in flexione rarius occurrunt, ac persaepe, ubi in pronunciatione alia littera in aliam transit, etymologiae ratione habitâ in scripturâ littera primitiva retinetur. cf. quae §. 8. de Teschdid, et §. 4. de varia pronunciatione litterae ن dicta sunt. Veruntamen haud ita raro singulae litterae in flexione mutantur.

I. Si litteram aliquam eadem sive nullâ sive vocali brevi

interpositâ in media voce praecedit, hae in unam signo Teschdid notatam coalescunt, quando posterior vocali instructa est; sin vero Dschezma superscriptum habet, conjunctio locum habere non potest e. g. أَمَّنَ pro أَمْنَنَ. اِنَّدَغَ pro اِنْنَدَغَ, اِتَّبَعَ, pro اِتْتَبَعَ, ثَبَتُّ pro ثَبَتْتُ, ضَلَّ, pro ضَلَلَ, ضَلَلْتُ, etc.; sed haec permutatio mere orthographica est. Veram permutationem praesertim in litteris ت et ن deprehendimus, si littera solaris cf. §. 5. cognata sive sequitur, sive praecedit.

Abjici potest ت cum vocali sequenti, si aliud ت cum eâdem vocali, sive etiam ط sequitur. e. g. تَكَسَّرُ pro تَتَكَسَّرُ, اِسْطَاعَ pro اِسْتَطَاعَ; saepius vero idem ت praefixum in Conj. V. et VI. sequente aliâ litterâ dentali vel linguali cum eâ per Teschdid unitur, unde Elif prosth. in Praet. et Imp. sec. §. 7, 2. §. 8, 4. addendum erat. e. g. اِدَّبَّرَ, اِدَّارَأَ, اِثَّاقَلَ, يَزَّكَّى, يَصَّدَّعُ pro تَدَبَّرَ etc. Eadem conjunctio saepius in Conj VIII. reperitur, si ejusmodi littera dschezmata litteram ت praecedit e. g. اِطَّبَعَ, اِدَّرَأَ, اِظَّلَمَ, اِذَّكَرَ, اِزَّلَقَ, اِسَّمَعَ, اِشَّبَهَ pro اِطْتَبَعَ etc.; sed nonnunquam etiam sonus *t*, *d*, praecedenti assimilatus servatur e. g. اِصْطَبَغَ, اِضْطَرَمَ, اِزْدَلَقَ, اِذْدَكَرَ atque اِدَّكَرَ a ذَكَرَ. Simili ratione littera ن dschezmata litteram م vocali instructam praecedens in hanc

transit, idque in Praepp. مِنْ, عَنْ: مِمَّنْ, عَمَّنْ, مِمَّا, عَمَّا, et in Conj. VII. اِمَّلَسَ pro اِنْمَلَسَ etc.

II. Sed plerasque mutationes litterae ا و ى subeunt, quae ideo *debiles* vocantur. Ex his ا debilior est quam و, et و debilior quam ى. Hae litterae

1) ab initio vocum positae haud mutantur, و tantum ante aliud و mobile in forma nomm. plur. فَوَاعِلُ in Elif hamzatum transit. e. g. أَوَاصِلُ pro وَوَاصِلُ.

2) quiescentes sequente litterâ dschezmatâ excidunt: (sed Elif ante Teschdid retinetur. e. g. مَادَّ). يَقُمْ, يَخَفْ, يَسِرْ pro يَخَافْ etc.; saepius alia vocalis formam primitivam seu radicem indicans redit: قُلْتَ, طُلْتَ a قَالَ, طَالَ pro قَوَلَ, طَوُلَ; خِفْتَ, سِرْتَ a خَافَ pro خَوِفَ, سَارَ pro سَيَرَ.

3) vocali destitutae post vocales heterogeneas iis fiunt homogeneae: بِئْرٌ. pro بِارٌ, دَارٌ pro دَيْرٌ, مُوقِنٌ pro مُيْقِنٌ; sed و ى post Fatha saepe manent et diphthongescunt, aut instar ا sine Dschezma quiescunt: لَيْلٌ, يَوْمٌ etc. (sed cf. يَاتَعِدُ

et يَتَّعِدُ pro يَوْتَعِدُ, يَاتَسِرُ et يَتَّسِرُ pro يَيْتَسِرُ) عَلَى,
صَلَوةٌ, رَمَيَةٌ cf. §. 6. p. 10.; atque littera ى nonnunquam Dhamma praecedens in Kesre transfert: بِيضٌ, نِيبٌ ex بُيْضٌ, نُيْبٌ.

4) In Conj. VIII. saepius litterae ت sequenti assimilatur: اِتَّخَذَ, اِتَّحَدَ, اِتَّسَرَ pro اِئْتَخَذَ, اِوْتَحَدَ, اِيْتَسَرَ.

A. *Elif* 1) abjicitur ab initio vocum in Imp. Conj. I, verborum أَمَرَ, أَكَلَ, أَخَذَ, deinde et alibi praesertim in mediâ dictione cf. §. 8, 4. §§. 6. et 9., et nonnunquam praecedente Dschezma e. g. مَسَلَةٌ pro مَسْأَلَةٌ, sin vero و vel ى quiescens antecedit, saepius cum his per Teschdid unitur: خَطِئَةٌ, خَطِيَّةٌ pro خَطِيئَةٌ.

2) In compositis quibusdam mutatur in ئ e. g. حِينَئِذٍ, لِئَلَّا, itemque si أ int. praefigitur: أَئِنْ, أَئِذْ, et in و: أَوُنَبِّئُكُمْ, ubi alias ا initiale sive abjicitur, sive Hamzu ejus loco scribitur, seu denique Medda praecedente Hamza ponitur: ءٰانَبِّئُكُمْ, أَنْذَرْتُمْ s. ءٰانْذَرْتُمْ. Eodem signo Medda duo Elif saepius uniuntur. cf. §. 8, 5.

3) Haud raro in mediâ voce abjecto Dschezma et

Hamza quiescit: رَاس pro رَأْس, imprimis si aliud Elif hamz. praecedit: إِيمَان pro إِئْمَان.

4) praecedente aut sequente Dhamma vel Kesre in media voce transit in و vel ى: سُوال et سُوَال pro سُؤَال, فِئَة pro فِآة, رُوف, وُيف, سُئِل etc.

5) Quando post أ hamz. aliud ا prolong. ponitur, aut prius mutatur in و, aut ambo per Medda uniuntur: تَوَامَرُوا pro تَآامَرُوا, أَوَاخِر, مَآرِب.

6) in fine dictionis praecedente Dhamma vel Kesre in و vel ى mutatur, idemque fieri *potest*, si Dhamma vel Kesre sequitur: دَنُو, خَطِي, تَفْتُو seu تَفْتَا.

Caeterum cf. §. 8, 3. regulas de signo Hamza propositas.

B. *Vau*. 1) abjicitur in Imp. Inf. et Fut. verborum quorundam I. rad. و: عِدْ, عِدَة, يَجِد, يَقَع; et nonnunquam post Dschezma ante vocalem longam: مَقُول, إِقَال pro مَقْوُول, إِقْوَال.

2) mutatur in أ (aut simplex Hamza accipit) nonnun-

quam, si praecedente Dschezma in mediâ voce enunciatur cum Dhamma e. g. أُدْؤُرٌ sive أُدْوُرٌ pro أَدْوُرٌ, atque in ا, si tanquam tertia rad. in voce trium litterarum vocalem Fatha in fine sequitur: غَزَا, عَصَا. cf. D, 8.

3) in ى transit in mediâ voce, si Kesre praecedit aut sequitur, et in fine vocis, ubi Kesre praecedit: ثِيَابٌ, رَضِيَ, قَائِلٌ, sed retinetur in vocibus سِوًى, طِوَلٌ aliisque similibus; saepius deinde, si signo Teschdid notandum est: قَيُّومٌ pro قَيْوُومٌ, صُيَّمٌ pro صُوَّمٌ; denique etiam haud raro in mediâ dictione praecedente Dhamma vel Fatha et sequente Fatha: قِيَامَةٌ pro قِوَمَةٌ, صُيَانَةٌ pro صُوَانَةٌ, et si tanquam tertia rad. in voce quatuor vel plurium litterarum vocalem Fatha in fine sequitur: يُغْزَى pro يُغْزَوُ, مُصْطَفًى etc. cf. D, 8.

4) و servile in fine vocis Elif otiosum assumit, quod sec. alios nonnunquam etiam post و rad. scribitur: رَمَوْا, نَصَرُوا; يَتْلُوا *legent* et *leget*, نَتْلُوا *legemus*. In N. pr. عَمْرٌو *Amru* و plane otiosum in scriptura semper additur, si Accus. cum nunatione exceperis, ut a N. pr. عُمَرُ *Omar* bene distinguatur: عَمْرٍو lege *Amrin*, Acc. عَمْرًا.

C. *Je.* 1) abjicitur in fine vocum accedente nunatione *un* s. *in* sec. reg. II, 2., quando vero nunatio *an* ex *ajun* s. *ajin* s. *ajan* exorta accedit, retinetur: رَامٍ pro رَامِيٌ et رَامِيٍ, فَتًى pro فَتَيٌ s. فَتَيٍ s. فَتَيًا.

2) in Elif transit in fine vocum post aliud ى: هَدَايَا pro هَدَايِي, exceptis Nomm. pr. يَحْيَى et رَبِّي.

3) in و mutatur interdum in mediâ dictione, si post Dhamma per Fatha efferendum est: رُمْوَانٌ pro رُمْيَانٌ; at multo saepius ى servatur.

D. Litterae وى. 1) in mediâ voce praecedente Dschezma, eo abjecto in vocali homogeneâ quiescunt, sin vero vocalis sequitur heterogenea, ei assimilantur: يَطُولُ, يَسِيرُ, أَسِيرُ, مُسْتَقِيمٌ, أَسَارَ, يَخَافُ pro يَطْوُلُ, يَسْيِرُ, مُسْتَقْوِمٌ, أَسْيَرَ, يَخْوَفُ; sed in formis مِفْعَلٌ, مِفْعَالٌ, أَفْعَلُ immutatae remanent.

2) in mediâ voce post Fatha saepe in ا quiescens transeunt: قَالَ, طَالَ, خَافَ, سَارَ pro قَوَلَ, طَوُلَ, خَوِفَ, سَيَرَ, sed praecedente aut sequente vocali *a* longâ mobiles servan-

tur: قَاوَل, سَرَوا, رَمِيَا; praecedente Dhamma et sequente Kesre in ى mutantur: قِيلَ, سِيرَ pro قُوِلَ, سُيِرَ.

3) post vocales Dhamma vel Kesre mobiles, quando sequitur و vel ى quiescens, unâ cum vocali excidunt, sed Fatha praecedens cum sequente و vel ى diphthongescit: غَازُونَ, اغْزِى, رَامُونَ, تَغْزِينَ, رَمَوْا pro اُغْزُوِى, غَازِوُونَ, رَامِيُونَ, يَغْزُوِينَ, رَمَيُوا. Contra

4) و quiescens praecedente و mobili et ى quiescens praecedente ى mobili eâque hamzatâ saepe excidunt: دَاوُدُ, طَاوُسٌ, رَئِسٌ, رُوفٌ pro دَاوُودُ, طَاوُوسٌ, رَئِيسٌ, رُوُوفٌ, alias in ىّ mutantur: قَيِّمٌ, طَيِّبٌ pro قَوِيمٌ, طَيِيبٌ; cum Kesre efferendae, si ا prolongationis sequitur, saepe in ئ transeunt: قَائِلٌ, مَائِلٌ, زَوَائِدُ pro قَاوِلٌ, مَايِلٌ.

5) dschezmata ante و vel ى mobilem in ىّ mutantur: اَيَّامٌ, كَيٌّ pro اَيْوَامٌ, كَوْىٌ.

6) quando littera و vel ى quiescens eandem litteram

mobilem praecedit, ambae per Teschdîd uniuntur: عَدُوٌّ, سَرِيٌّ pro عَدُوْوٌ; سَرِيْيٌ; sin vero altera earum est و, altera ى, hae in ى transeunt: مَرْمِيٌّ, رَضِيٌّ pro مَرْمُوْيٌ, رَضِيْوٌ, atque adeo duae و in ى mutantur: دُلِيٌّ, عُصِيٌّ et عِصِيٌّ pro دُلُوْوٌ, عُصُوْوٌ.

7) finales post ا quiescens in Hamza mutantur: سَمَآءٌ, مِرَآءٌ pro سَمَاوٌ, مِرَايٌ.

8) in fine vocum inter duas vocales homogeneas fiunt quiescentes: يَغْزُو, رَامِي pro يَغْزُوُ, رَامِيُ, sed و in nominibus praecedente Dhamma in ى transit, atque Dhamma sequens semper abjicitur, praecedens vero in Kesre mutatur: أَدْلِي, تَمَنِّي pro أَدْلُوُ, أَدْلُو, تَمَنُّيٌ, تَمَنِّيُ; accedente nunatione ى sec. II, 2. excidit: أَدْلٍ, تَمَنٍّ, رَامٍ pro أَدْلُوٌ, تَمَنِّيٌ, رَامِيٌ. At Fatha praecedens vocalem alteram sequentem absorbet: عَصًا, عَصَا, فَتًى, فَتَى pro عَصَوٌ s. عَصَوُ s. عَصَوًا, عَصَوٌ,

عَصَوٌ, عَصَوٌ, فُتِيٌّ s. فُتِيٌّ s, فَتَيًا, فُتُوٌّ s. فَتِيٌّ s. فَتًى, cf. C, 1.; sin sequitur, vocalis praecedens Kesre sive primitiva sive ex Dhamma exorta retinetur: رَامِيًا, رَامِي et أَيْدِيَ, أَيْدِيًا pro أَيْدِيَ, أَيْدِيًا, أَدْلِيًا pro أَدْلُوًا.

Caeterum و ی haud raro Hamza assumunt, ac ی quidem in forma particip. Conj. I. cf. D. 4., و vero ibidem, et alibi saepius, praecedente Dschezma cf. B, 2., et praecedente s. sequente vocali longâ: خُؤُولَةٌ, طَاؤُسٌ cf. D, 4.

III. *Vocales* in lingua arab. fere non mutantur, nisi cum litteris ا و ی concurrunt; atque saepius has mutant, quam ipsae mutantur, quoniam ad formam grammaticalem distinguendam necessariae sunt. cf. regg. sub II. traditas, unde patet

1) vocalem longam in syllaba composita plerumque in brevem mutari. cf. II, 2. C, 1. D, 8.

2) duas syllabas breves interpositâ litterâ و vel ی saepissime in unam longam contrahi. cf. D, 2. 8.

3) vocalem Dhamma, quum ی firmior sit quam و, haud raro transire in Kesre, atque huic vocali, si sit potior, vocalem adeo antecedsntis syllabae assimilari. cf. D, 2. 6. 8.

4) vocalem Fatha reliquis esse constantiorem, et ubique fere servari. cf. D, 3. 8.

II.

DE PARTIBUS ORATIONIS.

CAPUT I. DE PRONOMINIBUS.

§. 1. *Pronomina personalia* duplicis generis sunt: 1) *absoluta* s. *separata*, quae pro Nominativo adhibentur, et 2) *affixa* s. *suffixa*, quae Casibus obliquis exprimendis inserviunt.

a) Pronomina pers. separata:

		Sing.	Plur.	Dual.
I. pers.		أَنَا	نَحْنُ	
II. pers.	m.	أَنْتَ	أَنْتُمْ	أَنْتُمَا
	f.	أَنْتِ	أَنْتُنَّ	
III. pers.	m.	هُوَ	هُمْ	هُمَا
	f.	هِيَ	هُنَّ	

Pronn. هُوَ et هِيَ post praefixum وَ vel فَ vocalem syllabae prioris abjicere possunt, et scribuntur modo وَهُوَ, فَهِيَ, modo وَهْوَ, فَهْيَ.

b) **Pronomina affixa s. suffixa.**

	Sing.	*Plur.*	*Dual.*
I. pers.	ى ـِ Gen., نِي ـ Acc.,	نَا ـ	
II. pers. m.	كَ ـ	كُمْ ـ	كُمَا
II. pers. f.	كِ ـ	كُنَّ ـ	
III. pers. m.	هُ ـ	هُمْ ـ	هُمَا
III. pers. f.	هَا ـ	هُنَّ ـ	

1) Suffixum ى ـِ post litteras ا, و, ى sive quiescentes sive Dschezmate notatas mutatur in يَ. Littera ى suffixi نِي Imperativo additi, et ي— Vocativo adjuncti saepius omittitur, idque in Suff. ي— praesertim fit, quando nomen in Hamza desinit. e. g. رَبِّ pro رَبِّي, اِتَّقُونِ, أَحِبَّاءِي. Si Wesla sequitur, suffixa ي—, نِي vocalem Fatha possunt assumere. cf. supra §. 8, 4, p. 15.

2) Suffixa هُ, هُمَا, هُمْ, هُنَّ praecedente vocali *i* in هِ, هِمَا, هِمْ, هِنَّ transeunt. Sequente Wesla Suffixa كُمْ, هُمْ Dhamma assumunt, Suffixo vero هِمْ sec. alios Kesre additur. cf. supra in §. 8, 4. nota.

3) Uni verbo nonnunquam duo affiguntur Suffixa, ubi كُمْ, si prius est, vocalem Dhamma cum و assumit. e. g. يُرِيكُمُوهُمْ,

4) Accusativus nonnunquam ob concursum Pronominum aut emphaseos causa per particulam إِيَّا cum Suff. exprimitur: إِيَّاىَ, pro إِيَّايَ. (cf. Cap. III. §. 1, 7.)

Pronominis *reflexivi* locum supplet nomen نَفْسٌ *anima* cum Suff. e. g. نَفْسِى *anima mea* pro *ego ipse* etc.

§. 2. *Pronomina demonstrativa*, et quae sequuntur, flexiones nominum imitantur cf. Cap. III., atque praeter genera et numeros casus etiam nonnunquam distinguunt.

Pertinet huc 1. أَلْ *articuli*, quod nominibus praefixum vocalem suam fere semper, ac nonnunquam etiam ا amitit, et cujus ل ante litteram solarem cum hâc coalescere solet. cf. §§. 5 et 8, 2. 4. sq.2. Pronomina vere demonstrativa sunt

1. Sing. Masc. ذَا, rarius ذَاءْ, ذَآئِهْ.

Fem. تَا, تِى, تِهِ, تِهِى, seu ذِى, ذِهِ, ذِهِى.

Dual. Nom. *masc.* ذَانِ s. ذَانِّ *fem.* تَانِ s. تَانِّ.

Gen. Dat. Acc. *masc.* ذَيْنِ *s.* ذَيِّنِ *fem.* تَيْنِ *s.* تَيِّنِ.

Plur. *masc. et fem.* أُولَآءِ *s.* أُولَا, أُولَى.

2. Sing. *masc.* هٰذَا, هَٰذَا *fem.* (هٰذِى, هَذِى) هٰذِهِ.

Dual. Nom. *masc.* هٰذَانِ, هَذَانِ *fem.* هٰتَانِ, هَتَانِ.

Gen. Dat. Acc. *masc.* هٰذَيْنِ, هَذَيْنِ

fem. هٰتَيْنِ, هَتَيْنِ.

Plur. *masc. et fem.* هٰؤُلَآءِ, هَؤُلَآءِ.

3. Sing. *masc.* ذَاكَ, ذَالِكَ, ذٰلِكَ, ذَلِكَ, هَاذَاكَ. هٰذَاكَ ille.

fem. تَاكَ, تِيكَ, تِلْكَ, rarius تَالِكَ illa.

Dual. Nom. *masc.* ذَانِكَ, ذَانِّكَ *fem.* تَانِكَ, تَانِّكَ.

Gen. Dat. Acc. *masc.* ذَيْنِكَ, ذَيِّنِكَ *fem.* تَيْنِكَ, تَيِّنِكَ.

Plur. *masc. et fem.* أُولَآئِكَ, أُولَاكَ, أُولَالِكَ.

Pro ذَاكَ, ذَالِكَ dicas ذَاكِ, ذَلِكِ si femininum, ذَلِكُمَا, ذَاكُمَا si duas personas, et ذَلِكُمْ *fem.* ذَلِكُنَّ si plures alloqueris.

§. 3. *Pronomen relativum* est اَلَّذِى, اَلَّتِى *qui, quae.*

Singularis.

Masc. اَلَّذِى, rarius اَللَّذ, اَللَّذْ, اَللَّذِىّ, لَذِى.

Fem. اَلَّتِى, rarius اَللَّتِ, اَللَّتْ.

Dualis.

Nom *masc.* اَللَّذَانِ, اَللَّذَانّ, اَللَّذَا.

Nom. *fem.* اَللَّتَانِ, اَللَّتَانّ, اَللَّتَا.

Gen. Dat. Acc. *masc.* اَللَّذَيْنِ, اَللَّذَيْنّ *fem.* اَللَّتَيْنِ, اَللَّتَيْنّ.

Pluralis.

Masc. اَلَّذِينَ, rarius اَلَّذِى, اَللَّذُونَ (Gen. اَللَّذِينَ), اَلأُلَى.

Fem. اَللَّاتِى, rarius اَللَّاتِ, اَللَّوَاتِى, اَللَّوَاتِ, اَللَّوَا, اَللَّاءِ, اَللَّاىِ.

Caeterum subinde etiam أَلْ articuli, atque saepius nomina interrogativa مَنْ, مَا non declinata et أَىّ, أَيَّةٌ Pronominis relativi vices gerunt.

Casus obliqui per subsequens Pronomen pers. suff. exprimuntur.

§. 4. *Pronomina interrogativa* sunt 1) مَنْ *quis? quae?* de personis, et مَا *quid?* de rebus, utrumque flexionis expers; sed ubi مَنْ solitarie ponitur, declinatur hoc modo:

Masculinum.

	Sing.	*Dual.*	*Plural.*
Nom.	مَنُو	مَنَانْ	مَنُونْ
Gen. Dat.	مَنِي	مَنَيْنْ	مَنِينْ
Accus.	مَنَا		

Femininum.

(مَنْتْ) مَنَتْ، مَنَهْ، per omnes Casus	مَنَتَانْ مَنَتَيْنْ	مَنَاتْ per omnes Casus.

2) أَيٌّ *quis? qualis? fem.* أَيَّةٌ, quod per omnes Numeros et Casus in utroque genere flectitur, et tanquam Nom. subst. aliud Nomen in Genitivo regit: مِنْ أَيِّ كِتَابٍ *ex quo* vel *quali libro?*

CABUT II. DE VERBO.

§. 1. Verba sunt aut *primitiva* aut *derivata*. *Primitiva* sunt *trilittera*, *derivata* vero sive a nominibus, ut تَلْمَذَ „discipulus fuit" a تِلْمِيذٌ „discipulus", sive a verbis, e. g. رَتَعَ ab اِرْتَعَى Conj. VIII. verbi رَعَى, et praesertim a verbis sec. rad. geminantibus, ut زَلْزَلَ a زَلَّ, sive etiam a pluribus vocibus contractis, ut بَسْمَلَ „pronunciavit formulam بِسْمِ ٱللّٰهِ i. e. „in nomine Dei" originem ducunt. Ita existunt verba plurium quatuor praesertim litterarum, quae ad normam trilitterarum flectuntur.

§. 2. Forma primitiva, quam *radicem* nominare solent, plerumque in *tertia persona Sing. Praet.* conspicitur, atque haec est, quae in lexicis proponitur.

A verbo primitivo ex lege certâ et constanti plures deducuntur species derivatae, quae secundum varias formas significationem primitivi vario modo immutant. Hae, *Conjugationes* vulgo (licet falso) dictae, numero sunt 13, sive sec. alios 15, quae, quum aliae unam, aliae duas, aliae denique tres litteras radici additas habeant, in tres classes dividuntur. Paradigmatis loco sumitur verbum

فَعَلَ „egit", unde prima verborum littera radicalis dicitur ف, secunda ع, tertia ل.

III.	II.	I.	Forma prim.
اِسْتَفْعَلَ 10.	تَفَعَّلَ 5.	فَعَّلَ 2.	فَعَلَ 1.
اِفْعَالَّ 11.	تَفَاعَلَ 6.	فَاعَلَ 3.	
اِفْعَوْعَلَ 12.	اِنْفَعَلَ 7.	أَفْعَلَ 4.	
اِفْعَوَّلَ 13.	اِفْتَعَلَ 8.		
اِفْعَنْلَلَ 14.	اِفْعَلَّ 9.		
اِفْعَنْلَى 15.			

In *Conj.* I. verba primariam eamque simplicem habent significationem sive *transitivam* sive *iutransitivam*; atque intransitiva quidem verba vocalem mediae radicalis vel Kesre vel Dhamma assumunt, eo tamen discrimine, ut, quae qualitatem naturâ inhaerentem et constantem indicant, *Dhamma*, quae vero statum transeuntem, in quo quis per accidens versatur, denotant, *Kesre* habeant, quanquam haec distinctio non semper observatur e. g. حَسُنَ „pulcher fuit" حَزِنَ „tristis fuit", فَرَدَ, فَرُدَ, فَرِدَ „separatus fuit."

Conj. II. فَعَّلَ mediâ rad. duplicatâ hebr. *Piel* respondens modo vim *frequentativam* atque *intensivam*, modo *causativam* verbis tribuit cf. قَتَّلَ, كَتَّبَ, نَزَّلَ, ac saepe a nominibus formatur e. g. جَيْشٌ — جَيَّشَ.

Conj. III. فَاعَلَ insertâ litterâ ا inter 1. et 2. rad. *actionem* denotat, atque *consilium* agendi in rem s. personam aliquam, quae in *Accusativo* apponitur, sive etiam *conatum* aliumque *antecellendi studium*. cf. كَاتَبَ, جَالَسَ, قَاتَلَ, شَارَكَ.

Conj. IV. أَفْعَلَ praeposito أ vim habet *causativam*, atque *intransitiva* reddit *tansitiva*. cf. أَضْرَبَ, أَذْهَبَ.

Conj. V. تَفَعَّلَ a secundâ praeposito تَ formata notionem *reflexivam* s. *passivam* secundae Conj., et *Conj.* VI. تَفَاعَلَ a tertia praeposito تَ derivata notionem *passivam* tertiae aut, idque saepius, *reciprocam* verbo tribuit. cf. تَفَرَّقَ, تَعَلَّمَ, تَبَارَكَ, تَقَاتَلَ.

Conj. VII. اِنْفَعَلَ praeposito اِنْ significationem plerumque *passivam*, rarius *reflexivam* habet. e. g. اِنْكَسَرَ, اِنْغَدَرَ.

Conj. VIII. اِفْتَعَلَ inserto تَ post 1. rad., cui ا prosth. praemissum est, vim habet *reflexivam* et *passivam*. e. g. اِجْتَمَعَ, اِعْتَرَضَ.

Conj. IX. اِفْعَلَّ geminatâ 3 rad. et praeposito ا prosth. verbis colorum et defectuum corporis propria est, et *Conj.* XI. اِفْعَالَّ ab hâc inserto Elif inter 2. et 3. rad. formata vim ejus intendit. cf. اِصْفَرَّ, اِعْوَرَّ, اِحْمَارَّ, اِعْوَاجَّ.

Conj. X. اِسْتَفْعَلَ praeposito اِسْتَ saepissime *petitionem* et *desiderium* aut *opinionem* indicat e. g. اِسْتَغْفَرَ, اِسْتَوْجَبَ.

Conjj. XII. et XIII. rarissimae *intentionem* aliquam indicant: *Conjj.* vero XIV. et XV. his adeo rariores ad verba quadrilittera possunt referri.

At quae cujusque verbi Conjucationes occurrant, et quamnam earum quaeque significationem induat, e Lexicis cognoscitur.

Verba *quadrilittera quatuor* tantum Conjugationes agnoscunt, quae trilitterorum normam ita sequuntur, ut prima primae sive potius secundae, secunda quintae, tertia septimae, quarta nonae in forma, flexione ac significatione fere respondeat. 1) فَعْلَلَ. 2) تَفَعْلَلَ. 3) اِفْعَنْلَلَ.

4) اُفْعُلَّ. Omnes hae Conjugationes nonâ tantum atque undecima exceptis, utpote quae sensum semper intransitivum habeant, *passivam* quoque admittunt formam, eaque per omnes ita formatur, ut secunda rad. semper *Kesre*, syllaba vero praecedens unâ cum litteris praeformativis *Dhamma* accipiat: فُعِلَ, اُفْتُعِلَ etc. exc. 13. اُفْعُوِّلَ.

§. 3. *Tempora* duo sunt, quorum alterum *Praeteriti* s. *Perfecti* nomine insignitur, quia rem perfectam ideoque certam indicat, alterum vero vulgo *Futurum* s. *Aoristus*, rectius *Imperfectum* appellatur, quia rem nondum perfectam atque ideo incertam enunciat. Praeterea tempora etiam *composita* formantur adjuncto verbo subst كَانَ „fuit", atque Praeteritum hujus verbi cum Praet. alîus verbi conjunctum efficit *Plusquamperfectum*, cum Futuro vero efficit *Imperfectum;* et contra Futurum verbi كَانَ cum Praet. alîus verbi *Futuri exacti* notionem ei tribuit.

Modi sunt *Indicativus* et duae formae *Imperativi*; in Futuro praeter *indicativum* s. *raf'atum*, *subjunctivus* vel *nasbatus* s. *Futurum antitheticum, jussivus* vel *dschezmatus* s. *Fut. apocopatum*, et *emphaticus* s. *Fut. paragogicum* distinguuntur; *Infinitivus* vero et *Participium* ab Arabum Grammaticis Nominibus accensentur.

Numeri sunt tres: Singularis, Dualis, Pluralis; *personae* itidem tres in Sing. et Plur., in Duali duae tantum,

secunda et tertia dignoscuntur, et Imperativus nonnisi secundam agnoscit.

Genus est triplex, masculinum, femininum et commune.

VERBI FLEXIO.

Futurum.		Praeteritum.	
antithet. s. subj. s. nasb.	Ind. s. raf'at.		Sing.
يَكْتُبَ	يَكْتُبُ	كَتَبَ	3. *m.*
تَكْتُبَ	تَكْتُبُ	كَتَبَتْ	— *f.*
تَكْتُبَ	تَكْتُبُ	كَتَبْتَ	2. *m.*
تَكْتُبِي	تَكْتُبِينَ	كَتَبْتِ	— *f.*
أَكْتُبَ	أَكْتُبُ	كَتَبْتُ	1. c.
			Dual.
يَكْتُبَا	يَكْتُبَانِ	كَتَبَا	3. *m.*
تَكْتُبَا	تَكْتُبَانِ	كَتَبَتَا	— *f.*
تَكْتُبَا	تَكْتُبَانِ	كَتَبْتُمَا	2. c.
			Plur.
يَكْتُبُوا	يَكْتُبُونَ	كَتَبُوا	3. *m.*
يَكْتُبْنَ	يَكْتُبْنَ	كَتَبْنَ	— *f.*

Futurum. antithet. s. subj. s. nasb.	Futurum. ind. s. raf'at.	Praeteritum. Plur.	
تَكْتُبُوا	تَكْتُبُونَ	كَتَبْتُمْ	2. *m.*
تَكْتُبْنَ	تَكْتُبْنَ	كَتَبْتُنَّ	— *f.*
نَكْتُبَ	نَكْتُبُ	كَتَبْنَا	1. c.

Futurum.

alia ejusd. forma.	paragog. s. emphat.	apocop. s. juss. s. dschezm.	
			Sing.
يَكْتُبَنْ	يَكْتُبَنَّ	يَكْتُبْ	3. *m.*
تَكْتُبَنْ	تَكْتُبَنَّ	تَكْتُبْ	— *f.*
تَكْتُبَنْ	تَكْتُبَنَّ	تَكْتُبْ	2. *m.*
تَكْتُبِنْ	تَكْتُبِنَّ	تَكْتُبِي	2. *f.*
أَكْتُبَنْ	أَكْتُبَنَّ	أَكْتُبْ	1. c.
			Dual.
. . .	يَكْتُبَانِّ	يَكْتُبَا	3. *m.*
. . .	تَكْتُبَانِّ	تَكْتُبَا	— *f.*
. . .	تَكْتُبَانِّ	تَكْتُبَا	2. c.

Futurum.

alia ejusd. forma.	paragog. s. emphat.	apocop. s. juss. s. dschezm.	
			Plur.
يَكْتُبُنْ	يَكْتُبُنَّ	يَكْتُبُوا	3. *m.*
. . .	يَكْتُبْنَانِّ	يَكْتُبْنَ	— *f.*
تَكْتُبُنْ	تَكْتُبُنَّ	تَكْتُبُوا	2. *m.*
. . .	تَكْتُبْنَانِّ	تَكْتُبْنَ	— *f.*
نَكْتُبَنْ	نَكْتُبَنَّ	نَكْتُبْ	1. c.

Imperativus.

alia ejusd. forma.	emphat.		
			Sing.
اُكْتُبَنْ	اُكْتُبَنَّ	اُكْتُبْ اُكْتُبْ	2. *m.*
اُكْتُبِنْ	اُكْتُبِنَّ	اُكْتُبِي	— *f.*
			Dual.
. . .	اُكْتُبَانِّ	اُكْتُبَا	2. *com.*
			Plur.
اُكْتُبُنْ	اُكْتُبُنَّ	اُكْتُبُوا	2. *m.*
. . .	اُكْتُبْنَانِّ	اُكْتُبْنَ	— *f.*

Annotationes.

§. 4. De formis Praet. رَبُطَتْ, عَبَدتَ, لَبِثَتْ, ثَبَتَ, أَمِنَ etc. vide supra 1. §. 8, 2 et §. 12.

Media rad. ut in Praet., ita quoque in Fut. aut Dhamma, aut Fatha, aut Kesre assumit, et *Dhamma* quidem in verbis, quorum med. rad. in Praet. sive Dhamma seu Fatha habet, *Fatha* plerumque in verbis med. et tert. rad. gutturalis, et in iis, quorum med. rad. in Praet. Kesre habet, *Kesre* denique in verbis nonnullis, quorum med. rad. aut per Fatha aut per Kesre in Praet. pronunciatur.

Futurum antitheticum adhibetur post particulas أَنْ, لِ *ut* significantes, كَيْ, حَتَّى, أَوْ, et post particulas ex أَنْ compositas إِذَنْ et لَنْ.

Futurum apocopatum locum habet post Imperativum, cui respondet, et post particulas أَيَّانَ, أَيٌّ, أَنَّى, إِنْ, إِنَّمَا, أَيْنَ, حَيْثُمَا, كَيْفَمَا, لِ imperativum (لِيَكْتُبْ scribat), لَا ne, لَمْ, لَمَّا nondum, مَا quidquid, مَنْ quicunque, مَهْمَا.
Paragogica Futuri forma est apocopata cum emphasi qua-

dam prolata, ideoque post easdem particulas usurpari potest. Pro يَكْتُبْنَ scribitur nonnunquam يَكْتُبَا etc.

In Imperativo media rad. eandem vocalem retinet, quâ in Fut. pronunciatur; Elif vero prosth. Dhamma accipit, si med. rad. Dhamma habet, alias Kesre assumit. e. g. إِعْلَمْ, إِضْرِبْ.

Infinitivi, qui *Nomen actionis* appellatur, formae enumerantur triginta tres, quarum usitatiores sunt فَعْلٌ, فَعَلٌ, فَعَالَةٌ, فُعُولٌ, فُعُولَةٌ.

§. 5. *Passivum* Imperativo et Infinitivo caret. In Praet. prima rad. *Dhamma*, secunda *Kesre* habet; in Futuro litterae praeformativae *Dhamma* assumunt, et secunda rad. per *Fatha* effertur. Caeterum in flexione ab Activo non differt.

Praet. كُتِبَ, كُتِبَتْ, كُتِبْتَ, كُتِبْتِ etc.

Fut. raf.' يُكْتَبُ, تُكْتَبُ, تُكْتَبِينَ etc.

- antith. يُكْتَبَ, تُكْتَبَ, تُكْتَبِي etc.

- apoc. يُكْتَبْ, تُكْتَبْ, تُكْتَبِي etc.

- paragog. يُكْتَبَنَّ, تُكْتَبَنَّ, تُكْتَبِنَّ etc.

Participium Sing. *masc.* مُكْتَوَبٌ, *fem.* مُكْتَوَبَةٌ.

Dual. *masc.* مُكْتُوبَانِ, *fem.* مُكْتُوبَتَانِ.

Plur. *masc.* مُكْتُوبُونَ *fem.* مُكْتُوبَاتٌ.

§. 6. Conjugationes derivatae omnes et verba quadrilittera in Praet., Fut. et Imp. easdem flexiones terminales retinent, sed in reliquis a forma primitiva paullum differunt.

1) Media radicalis per omnia Praeterita Activa *Fatha* habet.

2) Futuri litterae praeform. in Conjugg. primae classis i. e. II, III et IV, et quadrilitt. primâ *Dhamma*, in reliquis Conjugg. *Fatha* assumunt. Media rad in Futuris Conjugg. V, VI, IX, XI, XIII per *Fatha*, in reliquis per *Kesre* effertur.

3) Imperativi omnium Conjugg. a Futuris formantur abjectis litteris praeformativis.

4) Participia omnia م praefixum et nunationem in fine habent; caeterum Futurorum formam imitantur praeter Conjugg. V et VI, quarum media rad. in Part. Act. vocali *Kesre* afficitur.

5) Infinitivi in Conjugg. II, III et IV, et quadrilitt. primâ plures exstant formae, nempe quadrilitt. I. قِمْطَارٌ, قَمْطَرَةٌ trilitt. Conj. II. تَفْعِيلٌ (quae est usitatissima), تَفْعَالٌ, فِعَّالٌ,

فَعَّالٌ et فِعِّالٌ. Conj. III. مُفَاعَلَةٌ, فِعَالٌ, فِيعَالٌ. Conj. IV. إِفْعَالٌ, فَعَالٌ, فَعَالَةٌ.

6) In Cenj. IV. ا initiale post liiteras praeform. Futuri et م Part. unâ cum vocali sua abjicitur.

7) De mutationibus, quas singula verba in Conjugg. V, VI, VII et VIII, subeunt, vide supra §. 12. p. 19.

